



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

32. Ut Abbates Episcopis, monachi Abbatibus subsint. Et de monachis  
vagis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

396      P R I M A   A P P E N D I X  
tum firmaretur, & usque ad perfectionem custodiretur. Hæc ego Johannes idcirco perstringenda curavi, ut hi qui occasione novæ dispensationis illicita matrimonia contrahunt, eruditissimum virum non regulariter quartæ generationis copulam censuisse, immo venialiter simulque temporaliter permisisse cognoscant.

De Presbyteris vel Diaconibus ab uno Episcopo non deponendis. *Ex Concilio Toletano cap. XIII.*

Concil. Hispal. 2. c. 13.

XXXI. Comperimus quendam Fratignum Cordubensis Ecclesiæ Presbyterum à Pontifice suo injustè olim dejectum, & innocentem exilio condemnatum; quem rursus ordini suo restituentes, id denuo adversus præsumptionem nostram decrevimus, ut juxta præscriptam patrum synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilij examine deiciendum quemlibet Presbyterorum vel Diaconorum audeat. Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest. Presbyter profecto nec ab uno damnari nec uno judicante poterit honoris sui privilegio denudari, sed præstanti synodali judicio quod canon de illis præceperit.

Ut Abbates Episcopis, monachi Abbatibus subsint. Et de monachis vagis. *Ex Concilio Aurelianensi cap. XV.*

Concil. Aurelian. 1. c. 19.  
Burchard. lib. 2. c. 67.

XXXII. Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant; & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis cor-

rigantur : qui semel in anno , in loco ubi Episcopus elegerit , accepta vocatione conveniant. Monachi autem Abbatibus omni obedientia & devotione subjaceant. Quòd si quis per contumaciam extiterit indevotus , ac per loca aliqua vagari aut peculiare aliquid habere præsumpserit , omnia quæ adquisierit , ab Abbatibus auferantur secundùm regulam monasterio profutura. Ipsi autem qui fuerint provagati , ubi inventi fuerint , cum auxilio Episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur ; & reum se ille Abbas futurum esse cognoscat qui in hujusmodi personis non regulari animadversione distrikerit , vel qui monachum susceperit alienum.

De discretione potestatis Episcoporum quam in monasteriis habere possunt. *Ex Concilio Toletano IV. cap. I.*

XXXIII. Nuntiatum est præsentì Concilio , eò quòd monachi episcopali imperio servili opere mancipientur , & jura monasteriorum contra constituta canonum illicita præsumptione usurpentur , ita ut penè ex cœnobio possessio fiat , atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutémque perveniat. Quapropter monemus [ eos ] qui Ecclesiis præsumunt ultra talia non præsumant , sed hoc tantùm in monasterio sibi \* vindicent quod præcipiunt canones , id est , ad conversationem sanctam præponere Abbates , aliáque officia constituere , atque extra regulam facta \* corrigere. Quòd si aliqui in monachis canonibus interdictum præsumpserint , aut usurpare quip-

Concil. Tolet.  
4. c. 51.

\* vindicent

\* corrigere